Dilecto filio nobili viro Casimiro Sapiecho Marescalcho Magni Ducatus Lithuaniae

Urbanus Papa VIII.

Ut Ruthenis catholicis faveat, et schismaticos ad unitatem catholicam inducat.

Dilecte fili, nobilis vir salutem, et apostolicam benedictionem. Perspectum, atque exploratum re ipsa cupimus, Ruthenorum Nationem ad praecipuas aplicae sollicitudines pertinere. Iccirco facere non possumus, quin, quandocumque se dat occasio, iis qui virtute, atque auctoritate pręstant, illam iteratis officiis summo animi affectu commendemus. Nunc proinde a Nobilitate tua enixe petimus, ut quibus in rebus Ruthenos Ecclesiae obtemperantes iuvare, ceteros vero ad Unionem

pertrahere quoquo modo valeas, operam tuam illorum utilitati impendere ne praetermittas. Id si quemadmodum de tua pietate Nobis pollicemur, accurate perfeceris, eximium antiquis laudibus decus superaddes, et pontificiam benevolentiam arctius demereberis. Nos vero divinam precabimur bonitatem, ut piis tuis conatibus obsecundantem se praebeat, et fausta cuncta largiatur. Nobilitati tuae, cui benedictionem nostram intimo cordis sensu impertimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die III. Novembris, Pontificatus nostri Anno vigesimo primo.

Descriptum et recognitum ex autographo Regesto Epistolarum ad Principes f. r. Urbani PP. VIII, an. XXI. pag. 349. t.o

quod adservatur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis.

Dabam die IV. Kalendas Iunii MDCCCXXXVII.

M. Marini

Tabular. S. R. E. Praefectus